



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *SANCTUS ALEXANDER* TEMPLUM DEO DICATUM IN  
HONOREM SANCTI ALEXANDRI IN URBE**

**AC DIOECESI BERGOMENSI AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Sanctus Alexander, martyr, qui libere mortem in testimonium fidei est amplexus, merito a populo Bergomensi pie invocatur. Volentes etiam Nos eum venerari, libentes postulationem Venerabilis Fratris Roberti Amadei, Episcopi Bergomensis, accepimus ut ecclesia paroecialis Deo dicata in honorem sancti Alexandri martyris, v.d. «in Colonna» dignitate basilicae minoris exornaretur. Certiores facti hanc aedem etiam architectonice et liturgice aequo modo aedificatam atque ornatam esse, eiusmodi petitioni sine mora concedimus, confisi sane fore ut, intercedente sancto Alexandro, cuius reliquiae ab antiquo tempore ibidem religiose custodiuntur, hoc privilegium ad populi Dei illius regionis unitatem adque eius devotionis emolumentum haud parum conferat. De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut ecclesia paroecialis in urbe Bergomensi Deo dicata in honorem S. Alexandri martyris, v.d. «in Colonna», titulo et dignitate Basilicae minoris fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Ianuarii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---